

CAPUT XV.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Descriptionem & Naturam tradit.

MInium, ut nostra fert opinio, nihil aliud est *Dioscoridi*, quàm Cinnabaris aliorum *Græcorum*, ut ex verbis ipsius *Dioscoridis* jam adductis colligere licet. Præterea certissimum hujus rei habemus testimonium, quando scripsit *Dioscorides lib. 5. cap. 69.* Minium in metallis vaporem strangu-
lantem eructare, & hac de causa fossores faciem vesicis obvelare, ut per illas videre possent, & respirantes noxium halitum non attraherent. Id etiam nostris temporibus fossores Minii præstare intelleximus. Lapis ergò est purpureus Cinnabaris mineralis, ad rubedinem declinans, hæmatiti lapidi non admodum absimilis, non insigniter durus, ponderosus tamen, atque impensè gravis tantoque argento vivo plerumque prægnans, ut per sese nullâ ignium vi guttatim exiliat. Cinnabarin minerali appellat *Gabriel Fallopius tr. de metall. cap. 38.* lapideum illud durum, quod in fodinis argentariis effoditur. Apud *Dan. Sennertum prax. Medic. lib. 6. part. 6. cap. 18.* Cinnabaris nativa est lapis mineræ argenti vivi, atque indè Cinnabaris nativa ac mineralis vocatur. Cinnabarin nativam dicit *Joh. Schroderus Pharm. Medic. Chymic. lib. 3. cap. 16.* terram minerali lapidescentem, rubicundam, constantem ex ære & Særio, cum terrestri materia, instar lapidis, compactis. Lapidem Minii, seu Cinnabarin ex purpura ad ruborem declinare, insigniter esse gravem, argenti vivi hospitem, syncerum
cocci

cocci nitorem habere, secundarii splendorem uliginem in parietibus sentire tradit *Joh. Joach. Beccherus Physic. Subterr. lib. 1. sect. 6. cap. 3.* Et Minium nativum, vel Cinnabrium appellat lapidem fragilem, gravem, rubicundum *Joh. Bapt. Du Hamel lib. 2. de Fossil. cap. 12.*

Minium autem esse lapidem, præclarissimorum Virorum testimoniis confirmari potest. Lapidem nunc Minium, nunc venam Minii *Plinius* nominat. Et, ut videmus, generi lapidis fissilis ita adheret Cinnabrium, ut innatum videatur. Sic enim inquit *Plinius hist. nat. lib. 33. cap. 6. Est & lapis in iis venis, cujus vomica liquoris aeterni argentum vivum appellatur.* Minium hoc lapidem ex *Aristotele* vocat *Joh. Fr. Picus Mirandula lib. 2. de Auro cap. 10.* Anthracem æquivoco lapidis nomine *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8.* scribit dici hoc Minium nativum, das *Quecksilber. Erz* / neque præter rationem, cum hujus lapidis vena carbonibus accensis assimilatur. Ut magis rei veritas manifestetur *Autoris* verba hoc in loco recensenda censuimus: *Ingrédia nunc Minii rationes explicare; id autem agris Ephesiorum Celbianis primum memoratur esse inventum, cujus & res & ratio satis magnas habet rationes; foditur enim gleba, quæ anthrax dicitur; vena est rubro colore, habens circa se rubicundum pulverem, cum foditur ex ferramentorum plagis, crebras Trii lachrymas fundit, quæ à fossoribus statim colliguntur.* Hoc genus à *Plinio hist. nat. lib. 33. cap. 7.* probatur, dum inquit, arenam cocci colorem habere, hanc teri, deindè lavari farinam, & quod subsidat, iterum lavari: differentiam verò ab arte dependere, quoniam alii primâ loturâ Minium faciunt, apud alios id esse dilutius: addit etiam *Plinius*

nus se audivisse Minium forbis crudis, sanguine caprino atque etiam calce adulterari, & in sincero cocci nitorem esse debere, secundarium autem interdum propter uliginem in parietibus splendorem amittere. Venam hydrargyri, seu lapidem argenti vivi feracem illud Minium appellat *Andr. Libavius Apocalyps. Hermetic. part. 1. cap. 8.* Et terram mineralem lapidescentem ipsum vocat *Ioh. Schroderus l. c.* non quòd sit vera terra, sed propter analogiam.

Lapis igitur hic Minii consistentiam compactam & solidam, non impensè quidem duram, ast gravem atque ponderosam: magnitudinem & speciem pomi mediocris: superficiem quodammodo levem, non admodum duram: colorem rubicundissimum, vel etiam hepaticum, micis argenti vivi radiantem: odorem & saporem ferè sulphureum habet.

Venenatæ quoque naturæ Minium hoc est, tum quia de hydrargyro participat, tum quia halitus venenatos, ut fossores Minii testantur eruçtat. Et hinc etiam venenum dicit Minium hoc *Plinius l. c. & lib. 29. cap. 1. hist. nat.* comperit vulgo pro Cinnabari Indica in medicamenta Minium addi insciatâ nominis, quod esse venenum docuit inter pigmenta. Item perniciosum & venenosum Minium hoc esse monet *Petr. Andr. Matthiolus comm. in cap. 69. & 70. lib. 5. Dioscor.* Illud propter spiritus Mercuriales in venenorum censu habet *Andr. Libavius syntagm. Arcan. Chymic. lib. 7. cap. 25.* Inter venena, siquid aliud, debet recenseri Cinnabrium nativum, inquit *Ioh. Bapt. Du Hamel lib. 2. de Fossil. cap. 12.* ac nemo, nisi sui prodigus aut vitæ pertæsus, tam perniciosum remedium adhibebit.

Minii istum lapidem, seu Cinnabarin minera-
 lem nos duplicem facimus, Solarem & Martialem.
 Hic in ferri, ille in argenti ac non rarò quoque in
 auri fodinis reperitur. Solarem eum esse indè pro-
 bamus: In hoc Sulfur & Mercurius exquisitè secum invi-
 cem mixta, & ambo cum illa rudi materia minerali,
 in qua ea hospitantur, hoc corpus rubrum, satis ab
 utroque discrepans, constituunt. Hisce interdum
 etiam minera Solaris est intermixta, & destillata
 tam Sulfur, quàm Mercurius solare de se spargunt. Hic
 Sulfur cochleari argenteo illatus, & super ignem ad
 avolandum expositus, aureo cochlear tingit colo-
 re: sed ejusmodi mineræ rarò, & non ubivis, repe-
 riuntur. Ferrugineam Cinnabarin dari observa-
 vit *Ioh. Fr. Picus Mirandula lib. 2. de Auro cap. 10.*
 eamque sub re metallica reposuit. Ponderus ei grave,
 subniger, cinereusque primâ fronte color, qui, si
 teratur, permanet: si aduratur, ruborem ostentat.
 Porrò Mercurius, quod est in ea, pars cœrulea cum flamma
 discedit primùm, deindè quod est Sulfuris prorsus
 evanescit, reliqua Mercurii pars pertinax est, & flamma
 contemptrix: Si verò mergatur liquidis con-
 sumptorium aquarum vaporibus, contrâ fit. Nam
 portio Mercurii magno impetu solvitur in aquam, tan-
 tum abest, ut igneo resistat liquori: resistit autem
 argenti vivi portio, quæ minimè absum-
 pta in fundo vasis candida
 residet.